Quaestio medica Disputationibus Cardinalitijs excutienda In Scholis Medic. die Jovis 7a Martij

Domino Claudio Roger Doctore Medico, Moderatore Sapientissimo.

An Nephritici, et Colici doloris communia Praesidia?

Renem praeter alia infestat calculus, vitiatae conformationis causa continens, plerisque et iis obnoxius podagra, haereditarius: Loco, contumacia, magnitudine, numero, figura, colore varius. Qui, ut quilibet alius, non nisi ex crasso lentoque simul, atque interdum purulento humore, sed pituitoso quam melancholico tum frequentior, tum vehementior: solius caloris nonnunquam etiam moderati opera, non semper ad id necessaria viarum angustia, concrescit: proximas sui causas, nisi quas a natura accepit, ex nullo, intemperie, vel nimio labore, frigido, incrassante, tenuante victu, satietate, cruditate omnium prope aliorum symptomatum parente, et vero quavis partium vel calefaciente, vel et adstringente potissimum sortitur.

Quo fit ut calculus viris quam feminis, et obesis, quorum hic facilior ductus, quam gracilibus magis familiaris: cum alibi, tum vel maxime in urinae (quae sui ipsius copia suppressi contingit) instrumentis coalescat pueris ob naturae robur, in vesica potius, parvus quam magnus saepe molestior, a quo minime, ut ne ab epilepsia post infantiam orta, solo aetatis lapsu liberantur; declinantibus aetate contrariam ob causam, in renibus frequentius: quos, ut renes una ex praecipuis podagrae causis, exacerbat; ita senibus connutritum (tametsi nonnullos huiusmodi morbos sua intemperie concoquant) aegerrime curaveris.

At Colum tam acris humor, quam phlegmone, cum febre sed impari, continentium, et alia quaevis, propria, non raro excruciat: Ita circa hanc (quae tamen ex frigido frequentius vitio oriri potest) illud magna ex parte, atque acerbius quam ilium, pituita, et flatus exercet. Quorum hunc major cum renis distinctio arguit. Illa, praesertim si vitiosa est, renis calculum per initia reciproce emetitur. Atque tamen hunc postea sequitur circa lumbos fixus dolor gravis, et nonnunquam acutus, postis quam renis mitior accedit; urina initio tenuis, et pura, sed quae, ut prior crassa, et arenosa fuit. Ita post mitescente malo talis apparet. Quanquam nec nascentis crassam, nec absoluto lapidis tenuem, nec solis calculosis arenosam reddi urinam necesse est.

Balano potius quam clysteribus subducta alvo, ac celebrata, si scopi conveniunt, directi poplitis phlebotomia, vel purgatione quae hic nunquam ex scammonio ut nec in dysenteria esse debet: althaeae, hyperici, senecionis, ac similium, et emollientium, et varia forma admovendorum (sumpta ex intervallis cassia) sed imprimis balneorum, non tamen ita frequentium: interdum etiam cucurbitarum: atque adeo narcoticorum in renum calculo usus est: quemadmodum (sed non nisi prius lenito dolore, et expurgatis viis) urinam moventium: et eorum quae qualitate vel manifesta, vel occulta lapidem excludunt: sed suspectis insignitis calidis, et urinae diureticis, potissimum si effectrix causa praepolleat.

At cruciatus coli afflictus varia pro causae diversitate pharmaca (quorum compositio non omni morbo necessaria) et alia plerique remedia postulant. Ita pituitosus (in quo rarior venae sectioni locus) cum immaniter cruciat, infusis injectis, et admotis anodynis: assiva, si flatus commixtus est, cucurbitula, sufficientibus mucis et flatuosi remedio: non neglectis amuletis: ac tandem addito, nisi dolor conquiescat, philonii aut alius similis tantillo, quod biliosi etiam curatio est, ante omnia mitigandus. Deinde cibis, ac medicamentis citra multum calorem tenuantibus, et flatui adversis, ut vino absinthites, et confectione de baccis lauri, materia praeparando: Atque injectis, ac potius phlegmagogis, velut hiera picra, aut diaphoenico, vacuando postmodum curandus.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Sunt Igitur Nephritici, et Colici doloris communia Praesidia.

Joannes De Beauvoir Sagiensis. 1553.